

B. Virgini consecrata stetit, in qua corpus D. Ludgeri à morte depositum: hanc, quod vel angusta, vel collapsa, dejecit Hermannus, & ex fundamento novam Basilicam construxit, addito Virginum Collegio, ideoque sub patrocinio B. Virginis reliquit. Id quod assitum conspicitur Sacellum D. Ludgeri, veteris Ecclesiæ turris fuit. Illud verò grande admirandumq; turris opus inter Saxoniarum monumenta cum primis spectabile Hermannò quoque Episcopo adscribitur conditori; quanquam Basilica hæc & Collegium Virginum anno 1071 mense Aprili conflagravit. Ac postquam intra annos 14 ab Erpone Episcopo instauratum est opus, rursus anno 1121, injectis à Theodorico Wirtzenburgico in urbem ignibus, absumptum est. Ex his ruinis à Burchardo Episcopo restaurari est cœptum, in quo perficiendo Successores laborarunt. Quod verò ab hoc Monasterio Virginum urbi & diœcesi Monasteriensi nomen adhæsisse nonnulli cum Crantzio opinentur, falli eos dixerim; quando à Collegio Cathedrali eam nominis originem alij certius deducunt; quòd ejusmodi Collegia Clericorum passim Monasteria dicerentur. Sanè ex quo à Carolo

*Kersenh. c. 2.
Historia
Anabaptist.
& in chron.
MS. Episcoporum.
Tympius in
catal. Episc.
Monast.
Broverus
in not. ad
vitam S.
Ludgeri.*

Annus Christi 1042.

Benedicti IX Pont. 9.
Henrici III Reg. 4.
Rothonis Ep. Pad. 7.

Ceterum Henricus Rex non prius Monasterio discessit quàm insigni prædio Virginum Transaquensium Collegium dotasset, & magnis etiam privilegijs, Herivordensium aliorumque nobilium Virginum Collegiorum instar, exornasset, & publicum etiam tribunal (quod Magistratui post cesserit) Abbatissæ dedisset. Sub hæc rigente hyeme in Burgundiam profectus, tumultuantium motus, compressit: acceptaque procerum fide Basileæ Henricum Luxemburgicum D. Cunigundæ fratrem ex Henrico fratre nepotem Bojariæ Ducem dixit. Inde secundo Rheno provectus 11 Aprilis Paschatis celebritatem Coloniae habuit, quò & Germaniæ Saxoniarumque proceribus evocatis, agitatum de bello Ungarico; omniumque mox suffragijs Petrus Rex exul in solium reponendus decernitur. Quare sub

*Brun. lib. 10.
Ann. Boicorum.
Histor. Boica p. 1. l. XVI.
Lambert.
Schaf.
Herm. contract.
Marian.
Scotus
Ursberg.
Henrici
Reg. expeditio in Bohemos*

ac